

ptismate recepisti; et per indulgentiam plenariam a summis Pontificibus, Nostratibus in articulo mortis constitutis, concessam, liberet te a presentis ac futurae vitae poenis; dignetur purgatorii cruciatus remittere, portas inferi claudere, paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, per sacratissima suae vitae, passionis et glorificationis mysteria. Qui cum Patre et Spiritu sancto Deus unus vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater ✠ et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

Urgente necessitate, dicto Confiteor, adhibeatur haec formula brevior:

Auctoritate Sedis Apostolicae mihi pro nunc commissa, concedo tibi plenariam remissionem peccatorum tuorum, in nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Absolutio generalis

impertienda adscriptis

Scapulari Ss. Trinitatis in articulo mortis constitutis.

Propria Ord. Ss. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Infirmus vel si ipse non possit alter assistens dicat: Confiteor Deo, etc. quo finito Sacerdos stola violacea indutus dicit: Misereatur, tui etc. Indulgentiam, etc. et statim prosequitur:

Auctoritate Domini nostri Jesu Christi, et beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli, et Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa et tibi concessa, virtute Bullarum nostri et aliorum Ordinum, concedo tibi si hac vice decesseris, remissionem et indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum in quantum claves Ecclesiae se extendunt; et absolvo te ab omnibus

poenis in Purgatorio debitis propter peccata quae in hoc mundo commisisti, restituendo te illi innocentiae in qua eras, quando baptizatus fuisti.

Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi, auctoritate praedicta, istam indulgentiam pro vero mortis articulo. In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. *R.* Amen.

V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Adesto Domine supplicationibus nostris, et istam creaturam ad tuam sanctissimam Imaginem factam tua providentia ineffabili conservatam, et in tuo sancto Nominem ad Confraternitatem sanctissimae Trinitatis, et spiritualem bonorum participationem receptam bene ✠ dicere dignare, et praesta, ut Unigeniti Filii tui pretioso Sanguine redempta, et ipsius meritis, ac Sanctificationibus adjuta, vitam consequi mereatur aeternam. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

R. Amen.

Orémus.

Omnipotens sempiternae Deus, qui dedisti famulo tuo (*vel famulae tuae*) *N.* in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniatur adversis.

Deus, qui per sanctos Joannem et Felicem Ordinem sanctissimae Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos coelitus institueri dignatus es: praesta quaesumus; ut eorum suffragantibus meritis a captivitate corporis et animae hic famulus tuus (*vel haec famula tua*), te adjuvante liberetur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

**Benedictio scapularis nigri et rosarii
seu coronæ Septem Dolorum B. Mariæ Virg.**

Propria Ordinis Servorum B. M. V.

Sacerdos superpelliceo ac stola alba indutus dicat:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum et terram.

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Omnipotens sempiternè Deus, qui morte Unigeniti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte æternæ liberares, et ad gaudia regni cœlestis perduceres; respice quæsumus super hanc familiam servorum tuorum in nomine Beatissimæ Virginis Septem Dolóribus sauciæ congregatam, de cujus grémio hic famulus tuus (*vel hæc famula tua*) esse cupit (*vel hi famuli tui esse cupiunt*), ut augeatur número tibi fideliter serviéntium, et omnibus sæculi et carnis perturbatióibus liberátus (*vel liberáta, seu liberáti*) et a láqueis diaboli secúrus (*vel secúra, seu secúri*) intercessióne ejúsdem Beátæ Mariæ Virginis, Beatorum Augustini et Philippi ac septem nostrorum Beatorum Patrum Ordinis Fundatorum vera gaudia possideat (*vel possideant*). Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Conversus ad habitum super altare positum, Sacerdos dicit:

Orémus.

Domine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitatis induere dignatus es; obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres nostri ad innocentiae humilitatisque indícium in memóriam Septem Dolórum Beátæ Virginis Mariæ nos ferre

sanxerunt, ita bene ✠ dicere dignéris, ut qui (*vel quæ*) illis fuerit indútus (*vel indúta, seu fuerint indúti*), corpore páriter et ánimo induat (*seu induant*) te Salvatórem nostrum. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Adspergit habitum aqua benedicta, dicens:

Adspérges me Dómine hyssópo et mundábor, lavábis me et super nivem dealbábor.

Deinde benedicit rosarium Septem Dolorum ut supra pag. 135.*

Sacerdos imponit habitum et cuilibet coram se genuflexo dicit:

Accipe caríssime Frater (*vel caríssima Soror*) hábitum Beátæ Mariæ Virginis, singuláre signum servórum suórum, in memóriam Septem Dolórum, quos in vita et morte Unigeniti Fílii sui sustinuit; ut ita indútus (*vel indúta*), sub ejus patrocínio perpétuo vivas. **R. Amen.**

Reddit rosarium, dicens:

Accipe coronam Beátæ Mariæ Virginis in memóriam Septem Dolórum suórum contéxtam, ut dum eam ore laudáveris, ejus pœnas toto corde compatiáris. Amen.

Hortetur adscriptus ut regulas observet ad sacras indulgentias assequendas: denique datur benedictio:

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti, descéndat super te (*vel super vos*) et máneat semper. Amen.

Absolutio generalis

impertienda in articulo mortis adscriptis

Sodalitati VII Dolorum B. Mariæ V.

Propria Ordinis Servorum B. M. V.

Sacerdos debet primo exhortari infirmum ad patientiam, ad imitationem dolorosissimæ Virginis Mariæ, deinde adjuvare eum ad excitandam contritionem de culpis suis, ad confidendum in patro-

cinio beatæ Mariæ Virginis in articulo mortis, sicut promissum est primis Septem beatis Patribus Ordinis et S. Brigittæ.

Postea adspargens aqua benedicta infirmum et circumstantes dicit: *V.* Pax huic dómui. *R.* Et ómnibus habitántibus in ea, et ab infirmo vel ab altero recitato Confiteor, etc. dicit Misereátur, etc. Indulgéntiam, etc.

Dóminus noster Jesus Christus Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam te absolvat ✠ recipiátque confesiónem tuam et remíttat tibi ómnia peccáta quæcúmque et quomodocúmque in toto vitæ decúrso commisísti, de quibus corde contrítus (*vel* contríta), et ore conféssus (*vel* conféssa) es, restítuens tibi stolam primam, quam in Baptísmate recepísti, et per indulgéntiam a Summo Pontífice Paulo quinto confrátribus societátis Septem Dolórum beatæ Mariæ Virginis, in articulo mortis constitútis concéssam, liberet te a præsentis, ac futúre vitæ pœnis, dignétur Purgatórii cruciátus remíttere, portas inférni cláudere, Paradísi jánuam aperíre, teque ad gáudia sempitérna perdúcere. Qui cum Patre, et Spírítu sancto vivit, et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

Inde infirmum et circumstantes benedicat:

Benedíctio Dei omnipoténtis Patris, ✠ et Fílii, et Spírítus sancti descéndat super vos, et máneat semper. *R.* Amen.

Quod si nunc non decésseris, resérvo tibi hanc grátiam pro ália vice.

INDEX APPENDICIS RITUALIS.

	Pag.
De Sacramento Baptismi	3*
Benedictio Fontis seu Aquæ baptismalis (Formula brevior)	3*
De Sacramento Confirmationis	4*
Decretum S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide diei. 23. Aprilis 1774	4*
Instructio pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis apostolice delegatione administrante	5*
De Sacramento Eucharistiæ	12*
Instructio a S. R. C. die 12. Septembris 1857 edita pro Sacerdote apostolicam facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi	12*
Modus sacram Eucharistiam deferendi occulte ad infirmos ob metum infidelium	13*
Decretum a S. R. C. die 9. Julii 1864 editum de specie olei pro nutrienda lampade sanctissimi Sacramenti	14*
Litaniæ, Preces et Orationes, quæ dici debent in expositione XL horarum in alma Urbe	14*
Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virginis	20*
Litaniæ sanctissimi Nominis Jesu	21*

De Benedictionibus.

Benedictiones non reservatæ.

Benedictio populi cum aqua benedicta, diebus Dominicis impertienda	23*
Benedictio vini in festo S. Joannis Evangelistæ	24*
Alia Benedictio vini in festo S. Joannis Apostoli et Evangelistæ	26*
Benedictio auri, myrrhæ et thuris in die Epiphaniæ	28*
Benedictio cretæ in festo Epiphaniæ	29*
Benedictio domorum in festo Epiphaniæ	29*
Benedictio candelarum in festo S. Blasii Episcopi et Martyris	31*
Benedictio herbarum in festo Assumptionis B. Mariæ Virg.	32*
Benedictio seminum et segetum in festo Nativitatis B. Mariæ Virg.	35*
Benedictio instrumentorum organi in Ecclesia	37*
Benedictio vexilli processionalis	37*
Benedictio metalli pro campana dum ære conflatur	38*
Benedictio domus scholaris noviter erectæ	39*
Benedictio primarii lapidis ædificii	45*
Benedictio viæ ferreæ et curruum	45*
Benedictio pontis novi	46*
Benedictio fontis	47*
Benedictio putei	47*
Benedictio ignis	48*
Benedictio fornacis calcariæ	48*
Benedictio fornacis fusoriæ metallicæ vel coctoriæ laterum et tegularum	49*
Benedictio seminum	50*
Benedictio horrei seu segetum demessarum	50*
Benedictio pistrini	51*
Benedictio adulti ægrotantis	51*
Eadem Benedictio pro pluribus infirmis	53*